



Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Præfatio De Auctore Commentariorum In Libros Regum, In Septem
Psalms Poenitentiales, Et In Cantica Canticorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75090)



P R Æ F A T I O
DE AUCTORE COMMENTARIORUM
IN LIBROS REGUM,
IN SEPTEM PSALMOS POENITENTIALES,
ET IN CANTICA CANTICORUM.



ET us est eruditorum querela, auctoribus Ecclesiasticis opera multa sive per fraudem, sive per incuriam, aut inscitiam falsò adscripta fuisse. Id exemplis in tanta Criticorum luce confirmare vanum esset, cum nullus ausit negare. Immo verò constat eos qui in edendis sanctorum Patrum scriptis operam dederunt, in id maxime adlaborasse, non solum ut quam emendatissimè ederentur, sed & ut vera à falsis, genuina à supposititiis, dubia à certis stylo censorio fecernerentur. Quod itaque in cæteris fere omnibus aut præstiterunt, aut tentarunt eruditi, id ipsum in editione operum S. Gregorii, quam procurandam suscepi, facere aggredior: & rejectis in hunc tertium Tomum scriptis alienis, quæ recentiores quidam S. Gregorii nomine inscripserant, quam sano ea consilio reprobaverim propositis aliquot momentis demonstrare. Agitur de Commentariis in libros Regum, in septem Psalmos Pœnitentiales, & in Cantica Canticorum, qui à ducentis fere annis sub nostri Auctoris nomine circumferuntur. Hanc porro Epocham statuere nostra interest, ne sit vllus antiquitatis præiudicio locus.

Et quidem Commentarius in Cantica editus est primùm Parisiis anno 1498. typis Udalrici Gering & Bertholdi Rembold. Expositio in septem Psalmos Pœnitentiales prodit Parisiis per Bertholdum Rembold. an. 1512. Commentarium in libros Regum in lucem emisit Veneti Bibliopola an. 1537. Et hæc videtur fuisse prima horum Commentariorum editio, ex titulo libri qui sic habet: *Eximii ac sanctissimi viri D. Gregorii Pape in primo Regum libro multiplex expositio, nunc primùm literarum formis quantum fas fuit castigata.* Ad calcem autem hæc leguntur: *Venetiis in officina D. Bernardini Stagnini de Tridino Montisferrati anno à Nativitate Domini M. D. XXXVII.* Certè in vltima editione Bibliothecæ Gesneri, procurante Jacobo Frigio Tiguri anno 1583. in indice librorum Gregorii Magni ita scribitur: *Item in primum Regum, & Regula Pastoralis Argentorati an. 1496.* Sed utrum de visu, an de auditu solum loquatur Frigius, incertum est, cum eiusmodi liber Argentorati editus nullibi compareat, prout vir clarissimus Balthasar Bebelius Argentoratensis Bibliothecæ Præfectus post inquisitionem à se summa diligentia factam significavit. Eundem Commentarium paulò post typis mandarunt Lugdunenses Bibliopola, nempe anno 1539. Quæ sequuntur sunt editiones, hos Commentarios representant aliæ in principio, aliæ ad calcem: at nullus editor, quod sciam, ad quæ manuscrippta exemplaria illos aut ediderit, aut emendaverit, indicavit. Ego verò quantum potui in perquirendis istorum Commentariorum manuscriptorum codicibus, diligentiam adhibui; nec occurrerunt ulli sive in Gallia, aut Anglia, aut Belgio, aut Argentorati, aut Venetiis; immo nec in Bibliotheca Vaticana scriptorum omnium, sed maxime sanctorum Patrum apotheca locupletissima, & fidelissima custode, neque in aliis celebrioribus Romæ Bibliothecis, sicut Eminentissimus Cardinalis Bona literis ad me scriptis sub die 28. Aprilis an. 1671. testatum voluit his verbis: *Commentariorum in libros Regum, in Cantica, & in Psalmos Pœnitentiales; nec unum quidem exemplar reperiri potuit in Bibliotheca Vaticanae codicibus M.S.S. nec in aliis insignioribus Urbis, &c.* Ut ut sit, credibile est eos alicubi latere, cum sine manuscriptorum codicibus edi non potuerint; sed quo auctore, qua

De auctore

manu inscripti fuerint nomine sancti Gregorii, non liquet. Si quando proferantur, disquiret lector: stabit interim hoc primum nostræ assertionis argumentum.

Secundum ex eo petitur quod sanctus ipse Gregorius nullibi meminerit istorum Commentariorum, cum tamen alia sua quæ genuina sunt, passim indicet: ut libros Moralium in epistola ad Leandrum Hispalensem Episcopum: Pastorale ad Joannem Ravennatem: Dialogos ad Theodelindam Longobardorum reginam transmisos, teste Paulo Diacono, & de quibus ep. 50. lib. 2. Ind. x. i. ad Maximianum Syracusanum Episcopum: Homilias in Ezechielem, quas Mariniano Ravennati inscribit: Homilias in Evangelia quas Secundino Taurominitano Episcopo. De epistolis clarius est quam ut probatione indigeat.

Tertiò. Aequalibus & supparibus qui de Gregorio Magno scripserunt, incogniti fuerunt hi Commentarii, quod inductione planum fiet.

Paterius Romanæ Ecclesiæ Notarius & Secundicerius, S. Gregorii discipulus, quique ejus hortatu librum collegit Testimoniorum ex operibus S. Gregorii, nullum reliquit genuinum ipsius opus, ex quo non aliqua decerpserit: hos autem Commentarios ne nominavit quidem, aut ex iis quidquam protulit. Quis sanus credat Paterium Gregorii discipulum Gregorio superstitem ejusmodi Commentarios si extitissent, aut non vidisse, aut auctori suo invidisse?

Isidorus Hispalensis qui 32. post Gregorium annis obiit, in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & in libro de viris Illustribus, memorat Pastorale, Moralia in Job, & epistolas quasdam. Tum addit: *Fertur tamen idem excellentissimus vir, & alios libros Morales scripsisse, totumque textum quatuor Evangeliorum sermocerando populis exposuisse, incognitum scilicet opus nobis.*

Taius Casaraugustanus Episcopus anno 650. edidit Collectaneum ex operibus sancti Gregorii, in quo nulla de his Commentariis fit mentio, etiam si de aliis Gregorii operibus plura testimonia referat. Habetur autem hic liber manuscriptus antiquissimus & optimæ notæ in Bibliotheca Thuanea.

Ildefonso Toletano Episcopo an. 667. opus istud fuit incognitum, ut colligitur ex ejus libro de viris Illustribus. Cantica quidem Cantorum nominat, sed non eadem de quibus inquirimus, ut probabitur invictis argumentis, cum in illum de Canticis Cantorum Commentarium præfabimur.

Beda an. 730. quanquam scripserit in libros Regum, in Psalmos, & in Cantica, nullum de Commentariis istis Gregorii Magni testimonium adducit: cum tamen librum septimum in Cantica totum fere ex S. Gregorii libris concinnarit.

Angelomus Monachus Luxoviensis an. 830. vir in divinis Scripturis exponendis nobile sortitus ingenium, inquit Trithemius, jussu Drogonis Episcopi Metensis, filii Caroli Magni scripsit in libros Regum, nobile opus, inquit idem Trithemius, & quale se in Scripturis sanctis alias legisse non meminit; sed nec ille de Commentariis istis quidquam attigit.

Rabannus Maurus an. 840. edidit etiam Commentarium in libros Regum, in cujus præfatione ita loquitur: *Ibi inveniet (lector) quid Pater Augustinus, quid Papa beatus & sanctissimus Gregorius, &c. rite intellexerunt: quorum sententias aut sicuti ab ipsis transscripte sunt, posui, aut sensum, &c.* Multa ibi ex sancti Gregorii libris testimonia profert; nullum verò de Commentario in libros Regum, nec de aliis duobus, quos utique non noverat.

Hincmarus Remensis Episcopus, qui obiit an. 882. vir acris ingenii, & qui omnes sanctorum Patrum libros evolverat, multa in opusculis suis de Gregorii Magni libris testimonia refert; sed de Commentariis istis ne verbum quidem.

Alulfus Tornacensis Monachus an. 1090. exemplo Paterii, librum ex omnibus Gregorii Magni operibus edidit, quem idcirco Gregorialem nuncupavit, multò etiam Paterio ampliorem, sed nec unum quidem ex Commentariis istis testimonium adducit. Extat hoc opus manuscriptum in Monasterio Longipontis Ordinis Cisterciensis prope Sueffionum.

Rupertus an. 1100. scripsit in libros Regum; verum apud ipsum altum est de his Commentariis silentium.

Sigebertus qui eodem tempore florebat, in libro de illustribus Ecclesiæ scriptoribus, nullam de iis mentionem habuit: loquitur tantum de Moralibus in Job, de Homiliis in Ezechielem, de 40. Homiliis in Evangelia, de Pastoralibus, de Dialogis, & de Registro. & addit: *Scripsit & alia quæ à Romanis post ejus mortem combusta sunt.*

Trithemius qui vivebat an. 1500. asserit libros quos S. Gregorius scripsit in Reges, post ejus mortem fuisse combustos. Idem habetur in editione operum S. Gregorii anni 1533. Parisiis apud Chevalonium, in quorum fronte hæc leguntur: *Scripsit & alia nonnulla D. Gregorius, ut Ioannes de Trittenheim testatur, scilicet in quinque libros Moysi, in libros Re-*

trium Commentariorum, &c.

zum, &c. quæ post ipsius mortem necdum in publicum data emuli ejus nequissimi, glorie videlicet sancti viri invidentes igne perdididerunt, sicut Ioannes Diaconus in vita Gregorii con-
queritur. Habentur autem ista apud Joan. Diacon. lib. 4. num. 59. his verbis: *Nam sicut a Majoribus traditur, cum calumniarum veterum incensores Gregorium prodigum dilapidato-
renque multiplicis Patriarchatus thesauri perstreperent, deficiente personali materie ad combu-
rendos libros ejus ceperunt pariter anhelare. Et num. 70. Expositionum ipsius pars maxima quæ
vtrique ab invidis exusta recolitur, non habetur.* Certè Baronius ad an. 604. §. 22. veritatem
hujus historie elevare videtur, tum quòd Hidorus & Ildefonsus de hoc incendio tacuer-
int: tum quòd apud Paterium qui erat Romæ, & Gregorio supervixit, nihil de eo le-
gatur: sed hæc non sunt tanti momenti.

Proferre possem infinitos alios ex scriptoribus Ecclesiasticis viros graves & insignes,
Lanfrancum, Anselmum, Ivonem, Bernardum, Petrum Lombardum, Thomam A-
quinatem, caterosque, qui multa de Gregorii Magni operibus retulerunt, illorum au-
tem Commentariorum nusquam meminerunt: sed ne modum præfationis excedam,
pergo ad alia.

Præter tot ac tantorum virorum auctoritatem, quorum ne vnus quidem Commenta-
rios in libros Regum, in septem Psalmos Pœnit. & in Cantica Cantic. Gregorio Magno
adjudicavit, non levia suppetunt rationum momenta, quæ libros illos ipsi prorsus abju-
dicent.

Non quòd negem S. Gregorium de libris istis sermones habuisse ad populum, sed
quòd illum de his omnibus quidquam scripsisse, nulla vel levis conjectura suadeat. Con-
stat quidem dicta Gregorii à quodam Abbate Claudio excepta, & scripto tradita; sed
non juxta mentem S. Patris, vt ipsemet queritur epist. 22. lib. 10. his verbis: *Quia cha-
rissimus quondam filius meus Clandius aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis Cantico-
rum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Heptateucho audierat, quæ ego scripto trade-
re præ infirmitate non potui, ipse ea suo sensu & stylo dictavit, ne oblivione deperirent, vt apio
tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur. Quæ cum mihi legisset, inveni
dictorum meorum sensum in multis inutilius fuisse permutatum: unde necesse est, vt tua experi-
entia omni excusatione, atque mora cessante, ad ejus monasterium accedat, convenire fratres
faciat, & sub omni veritate quantascumque de diversis scripturis charitas detulit, ad medium de-
ducant. Quas tu suscipe, & mihi celerrimè trans mitte.* Cum enim dicat se de libris illis ad
populum loquutum fuisse, perspicuum est eum id fecisse per Homilias, non autem per
Commentarios, quales sunt isti de quibus sermo. Scripta autem est hæc epistola tribus
ad summum annis ante mortem Gregorii. Quis verò probaverit Homilias ejusmodi,
quas suo sensu dictaverat Claudius, & quas ad se mitti Gregorius jussit, ad Grego-
rium revera transmisisse fuisse? Præterea quamvis ad ipsum transmisisse daremus, tar-
dius fortasse ob longinquitatem itineris eas acceperit, aut etiam acceptas non licuisset
ipsi per otium eas emendare, cum negotiis & calamitatibus per id tempus obrutum se
conqueratur, ideòque Homilias in Ezechielem diu interrumpere inter gladios barbaro-
rum, & publicos luctus coactum fuisse, vt liquet ex præfatione in Ezechielem, & aper-
tius homilia 11. lib. 1. his verbis: *Cogor namque modo Ecclesiarum, modo Monasteriorum
causas discutere: sæpe singulorum vitas actusque pensare: modo quedam civium negotia susti-
nere: modo de irruentibus barbarorum gladiis gemere, & commisso gregi insidiantes lupos time-
re: modo rerum curam sumere, ne desint subsidia iis ipsis quibus discipline regula tenetur: mo-
do raptores quosdam æquanimiter perpeti: modo eis sub studio servatae charitatis obviare. Cum
itaque ad tot & tanta cogitanda scissa ac dilaniata mens ducitur, quando ad semetipsam redeat,
vt totam se in predicatione colligat, & à proferendi verbi ministerio non recedat? Quæ omnia
paucis exponit Ioannes Diaconus l. 4. c. 67. Tantis, inquit, curarum tumultibus pro ani-
marum pariter ac civitatis custodia Gregorius gravabatur, vt in Coli molestias correns, non so-
lum, sicut promiserat, per ordinem Ezechielis mysteria minimè pertractaret; verum etiam hos-
tilibus incursumibus, multisque corporis debilitatibus aggravatus à studio expositionis omnino de-
ficeret, & ad dies illos se pervenisse deseret, atque dissolutionem sui corporis totis conatibus
flagitaret.*

Hæc de tribus generatim Commentariis dicta sint, cum sua de singulis momenta in
cujusque speciali præfatione subjungamus.

